

P E T R V S A L-
D O B R A N D I N V S
F L O R E N T I N V S S Y L-
V E S T R I I V R E-
C O N S.
F.

De interpretatione Clariss. Iurecons. Ludo-
vici Catii ad l.j.c.de edendo. aduersus Ma-
rium Arcadem Narnensem.

VIRTVTIS DVCE



C O M I T E F O N T V N A .

A P V D S E B . G R Y P H I V M
L V G D V N I ,
1543.

A M P L I S S I M O E T R E V E R E N D O P A T R I D.

Nicolao Ardingbello Florentino, Episco-
po Forosempromoniensi, ac S. D. N.

Datario, Petrus Aldo -
brandinus Sylvestri
Iurecons.F.

S A L.



L V R I M I S maximis' que de causis,
Amplissime præful, primos hosce ingenij
mei fructus deberi tibi intelligo. Primum:
quoniam cum summis ingenij luminibus,
magnarum' que artium scientia præeditus
fulgeas, eos qui aliquam sibi tecum coiunctionem esse uo-
luerunt, perpetuo illo tuo dignitatis atque amplitudinis
splendore illustrari cognoscebam. Deinde quod cùm sin-
gularis illa tua doctrina suam iandiu maturitatem adepta
sit, hos meos nondum maturos fructus, quibus indui inge-
niū meum citius fortasse quam oportuerat, summa in præ-
clarissimū præceptorem pietas coēgit, si in tuam tutelam
peruenissent, facilius ab inuidiæ uentis tutos fore confide-
bam. Præterea cùm per sacra baptismatis lustrico die nubi
pater extiteris, eos fructus propè tuo iure à me repetere
posse uidebaris. Postremò qui, cum Amplissimus ac Re-
uerendissimus Cardinalis Rauennas superioribus annis, ut
parentis mei pietati, fidei, ac meritis, & egregiae suæ in
nos omnes uoluntati aliqua ex parte satisfaceret, sacerdo-
tio me donasset, quo facilius ex illis suis angustijs nostram
hanc tenuitatem sustentaret, cumq; summa ui aduersario-
rum non de ſpe ſolum, ſed de certa iam re deturbarer, tis

A z solus

P E T R V S A L-
D O B R A N D I N V S
M A R I O A R C A D I
N A R N I E N S I
S A L.
*



V M mihi superioribus diebus quædam tua aduersus omnium doctorum sententias, uel potius contra opinionem lectissimi uiri, præclarissimiq; Iureconsulti Ludouici Cati præceptoris mei interpretatio ad l. pri-
mam C. de Eden. allata esset, eamq;
diligētissime perlegiſſem, incredibile est quanta confestim
animi uoluptate, quantoq; pariter dolore fuerim affictus.
Non mediocrem mihi lætitiam attulit, in hac nostra ætate
aliquos reperiri posse, qui ita se literis abdidissent, ut ali-
quid ad communem afferre fructum ualerent. Illud tamen
meam hanc animi uoluptatē longè auxit, quod uideo tanta
ingenij gloria adolescentes cæteris antecellere, ut si his se-
nectutis fores fata ingredi permittant, nō dubitem, eos no-
minis sui memoriam cum omni maiorum nostrorum laude
adæquaturos: nullisq; angustioribus spatijs, cancellis' que,
quam orbis terrarū finibus eorum famam esse circumscri-
pturos. Contrà autem uehementer angebar, te modestum
alioqui & moderatum iuuenem, tali ingenio præeditum, ea
facundia præstantem, tot tantis' que ingenij dotibus orna-
tum, in explicanda illa tua sententia ea abusum esse liber-
tate. Vehementius autem me sollicitum habebat, te in maio-